



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 7. Anima negligitur à multis. Ex Veteri, Novo. Patribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

tribuitis, victuræ in perpetuum animæ non negis. S. Greg. lib. 4. homiliar. hom. 4.

Ut caro mollibus, sic anima duris, nutritur; illam blanda refovent, hanc aspera exercent; illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Id. mor. l. 10. c. 13.

Anima tua vescatur, nè fame pereat. Da illi panem. Quem panem? inquis. Ipse tecum loquitur. Tu si audires, & intelligeres, & crederes Domino, ipse tibi diceret: *ego sum panis vivus, qui de celo descendi.* S. Aug. de Verb. Dom. sec. Lucam ferm. 30. ad finem.

Nonne, si dici ita potest, muti animalis vox ista est: *anima habes multa bona &c.* Luc. 12. 19. Si enim porcinam animam habuisset, quid ei aliud, quàm manducandi, & bibendi, bona auntiare debuerat? nunc autem ita totus animalis homo est, & totus carneus; ut animam suam carnalibus, & corruptibilibus escis existimet esse pascendam & ea, quæ in fecesum egeruntur, animæ præparat ad utendum: Cujus utique naturæ talis est, ut virtutibus alatur, ut verbo Dei saginetur; ut intellectibus piis, & religiosis disciplinis, atque exercitiis excolatur. S. Ambr. l. 81. de hom. divite.

Vis deliciari? animam pascere; trade ipsi cibos, quorum consuetudinem habet. S. Chrysoft. ad pop. Antioch. h. 54.

Animæ 7. opera misericordiæ exhibe. Ciba cibò Scripturarum: liber apertus est mensa, ibi comedit anima legendo, & contemplando. Item audiendo sermones anima cibatur: prædicator est cocus, & servitor ministrans vobis, quæ paravit in coquina Spiritus Sancti. Pota lacrymis Collige peregrinam, nè se distrahat negotiis secularibus. Redime captivam, quia multis debitis obligata. Vesti nudam virtutibus. Visita infirmam, examinando, quomodo expendisti diem? Sepeli mortuam. Nobilissima sepultura animarum, vulnera Christi, per contemplationem. JI. 2. 16. *excidisti tibi sepulchrum.* S. Vinc. Ferr. D. 4. post Trinit. f. 3. Vide plura tit. Fides, Opera, Oratio, Verbum Dei.

#### §. VII.

*Anima negligitur à multis.*

*Ex Veteri, & Novo.*

*Appositus est ei panis in conspectu ejus.* Gen. 24. 33. & ait, *non comedam, donec loquar sermones meos.* Vide locum. Cur Eliezer non cessavit loqui, donec audiet: *en Rebecca coram te est, tolle eam, & sit uxor Domini tui.* Cur non prius, festus, ex itinere, vires reficit? hospitalitate finitur? & tum demum mandata exequitur? absit! *non comedam.* Lyranus hic: in hoc ostendit, habere se negotium impositum sibi cordi. An vos curam animæ non solum necessariæ corporis refectio, sed cuius recreationi, & ludis, antepontis? Quem sic loquentem audivimus? hodie me peccato foedavi, igitur non comedam, nisi toxicum hoc confessione evomero. Mercede pauperem defraudavi; non comedam, nisi ex integro satisfecero &c. Quis ita agit, & loquitur? an non potius hæc animæ negotia in ultimum

locum ablegamus? P. Segneri die Mercurii Dom. 1. Quadrag. ferm. 7.

*Rachel autem, & Joseph, novissimos.* Gen. 33. 2. Quando Jacob reversus in patriam, ut iram Esau obviam venientis vitaret armati; familiam partitus in turmas, in fronte posuit seruos; Balam, & Zelpham-agmen clausit Rachel &c. quorum hic ordo? Videns se imparem resistendo esse; id solum egit, ut, si pereundum foret, non omnem simul familiam periculo objiceret, sed chariora tutiori loco collocaret. Oleaster in 37. Gen. posuit ancillas in principio, ut scilicet iram fratris minus dilectæ exciperent prius. Quò docuit, minus dilectæ pro conservatione eorum, quæ magis diliguntur, esse periculis obijcienda. Quid dicam, aut cogitem? dum video vos primo omnium animam vestram periculo objicere, eamque in agminis fronte poni. Nunquid ancilla loco à vobis habetur? peccat illa, modò dignitas familia, bona fortunæ, negotia profana, filii, filia, parentes, amici; quin & scorta, equi, & canes salvi sint. O amentiam! Id. ib. Flebat ir remediabilibus lacrymis, *heu! heu! me fili mi! omnia simul in te uno habentes &c.* Tob. 10. 4. 5. Pari Zelò Anima cuius sua pensanda foret, ut non nisi periculissimo tutiori eam confidamus. Quid dicam de iis, qui eam demoni ultrò committunt, & ab eo ad omnes damnationis proximæ occasiones adduci sinunt? Dant dilectam animam suam in manu inimicorum ejus; Jer. 12. 7. *Moluntur fraudes contra animas suas.* Prov. 1. 18. *Homo occidit per malitiam animam* Sap. 16. 14. *Fili, serva animam tuam, & da illi benorem secundum meritum suum.* Eccl. 10. 31.

*Miserere anima tua* Eccl. 30. 24. Salvianus l. 3. ad Eccl. nihil sanè durius vobis dici potest, nihil tam ferum, nihil tam impium; à quibus impetrari non potest, ut vos ipsos ametis. Quis furor est? viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas. Si in damnationem præcipitemini, quis tantæ potestatis, aut clementiæ, erit, ut inde vos eripiat? Absolon durò exiliò mulctatus Joab in venit, qui reditum impetravit 2 Reg. 14. 21. Joseph. carceri mancipatus à pociatore Pharaonis in libertatem affectus est, Gen. 41. 9. Jeremias in cisternam projectus, c. 38. 11. Abdemelech nactus est, qui porrecto fune eum extraxit. Animam verò tuam quis extrahet de altitudine ventris? *Eccl. 5. 1. 7. Quis funem porriget? quis brachium extendet? quis icalas applicabit? Qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam.* Job. 7. 9. 10. Segneri ib.

*Absit in domum suam (Achitophel) & disposita domo sua suspendit se tuerit.* 2. Reg. 17. 23. Cur quòd Absolon non adhereret iudicio suo. Cur prius tendit in domum suam? major ei erat cura, & studium de domo sua, quàm de anima: vult enim, ut domus sua sit salva, & integra in hæredum manibus; animam verò suam æternæ damnationi committit Sylv. in Matth. 27. 5. c. 6. q. 4. Disposita domo sua suspensus interit; quasi mallet suum corpus in malam crucem, & animam in infernum chaos præcipitare, quàm suas opes relinquere incustoditas. Mendaza in l. 1. Reg. c. 3.

*Adhasis*

*Abbasit caput ejus quercui.* 2. Reg. 18. 9. Cur arrepto pugione, crines non abscondit? & à suspensio se eximit? nè crines perderet, secare timuit! Alvarez in Jos. illustr. illustr. 92.

*Quis ascendet in montem Domini? - qui non accepit in vano animam suam.* Pl. 23. 3. 5. In vanum aliquid accipitur, quando non dirigitur ad destinatum sibi finem. In vanum emisti vestem, si nunquam eam induas. Creavit Deus memoriam, ut ejus recordareris; intellectum, ut eum cognosceres; voluntatem, ut eum amares. Did. Stella de contempl. van. Mundi c. 95.

*Statera dolosa.* Prov. 11. 1. Hugo per stateram accipit iudicium rationis; quod rectum, & sincerum est, cum in eà vera falsis, honesta turpibus, sancta profanis præponderant. Statera nem est animus hominis, in quo balances sunt ratio, & sensus; voluntas, & concupiscentia. Ità S. Basil. in illud: atende tibi ipsi, Corn. à Lap. hic.

*Magnificat anima mea.* Luc. 1. 46. Toleus: recte inquit B. Virgo anima mea: quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat domina. &c. Corn. à Lap. in Luc. 1.

### Ex Patribus.

Omnia magis quærimus, quam animæ utilitatem. Et domum quidem, ut consistat, sæpè quærimus; & non ferremus videre illam vetustate, vel tempestate subversam, vel collapsam. De anima autem nulla est cura; sed, licet fundamenta ejus videamus putrefieri, & structuram ipsam, & ædificium; nullam tamen ejus rei habemus rationem. - Et apud nos sunt multæ leges de bestiis curandis; de anima autem nullus est sermo. Quot sunt, qui curant canes, nè plus, quam par est, impleantur, & ità ut efferi, præ fame, esurie, venentur; seipfos autem non curant: & ità docent non deliciar, ut & bestia philosophiam discant; seipfos autem permittunt in ferinam sævitiam degenerare. S. Chrysost. in Act. Apost. hom. 34.

Innumeros dies deslent homines, familiarum obitus, pecuniarum damon; quod autem animam singulis diebus amittamus, nè cogitamus quidem. Id. hom. 8. in ep. 1. Cor. 2.

Væ nobis! quia princeps animæ pars carni, quæ ancilla est, servit; & pars deterior imperat præstantiori. B. Hais Abb. or. 29.

Quam excusationem apud Dominum habere poterimus, qui plus amamus vestem nostram, quam animam nostram. S. Cælius Ep. Arelat. hom. 8.

Error dolore dignus est, ullum omnino inveniri, aut esse posse, qui de cursu infelicis vitæ istius brevi spatio in ipsa extremitate jam pendens, iturus illico ad tribunal Dei, quidquam aliud cogitet, præter finem suum; quidquam aliud, præter exitum suum; quidquam aliud, præter periculum suum; & neglecta spe sua, atque animâ, cui opitulari aliquatenus vel in ultimis suis omni nisu, omni re, ac substantiâ suâ, debeat; hoc solum cogitet, hoc solum animo suo volvat; quam lautè hæres suus res suas comedat. Miserrime omni-

um, quid sollicitus es? quid æstuas? - Ecce iturus es infelicissime omnium ad Examen Sacrum, ad tremendum illud, intolerandumque, Judicium; ubi peregrinanti animæ, atque anxie, nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodo bona conscientia, nisi sola tantummodo innocens vita, aut quod proximum est, bonæ vitæ misericordia. Infelicissime omnium, cogitas, quam bene alii post te vivant; non cogitas, quam male ipse moriaris. - Interim hoc specialiter dico, & peculiari admonitione commoneo; nè ullum omnino aliquis, quamvis charissimum pignus animæ præferat. - Facilius est hic deesse filiis quippiam, quam parentibus in futuro; & multo levior est præsens tenuitas, quam æterna paupertas. Salvianus l. 3. ad Ecclesiam Catholicam.

Cum parvas quaslibet res nobis injustè sublatas districtè dijudicet Deus; credendum est, quod hominem sibi met subtrahi, pretiosam felicitæ substantiam, æquanimitè ferret? B. Petrus Damiani l. 5. ep. 16.

Quantum putas detrimentum incurris, si animæ immortalitatem nescis, vel omnino non credis? si enim de animæ immortalitate non constet; quis, quæso, ad futuram retributionem properat? quis, obsecro, vitam suam restringat, nè post concupiscentias suas eat? quis se ad fortia operâ accingat, tam acerbam patientiam habeat; si de futura vita penitus diffidat? &c. Richardus à S. Victore l. 3. de Arca myst. c. 15.

Vendens animam, pro qua Christus nobis datus est, pro brevi aliqua delectatione, reputat Christum stultum fuisse mercatorem; cum pro tam vilis det animam, pro qua Christus suum dedit sanguinem. Did. Stella p. 1. c. 62.

### §. VIII.

#### Animarum cura.

Quod majus lucrum potest esse, aut quid pretiosius, quam si humanam animam quis lucreret. S. Hieronymus in ep. ad Titum cap. 1.

Si Dominus noster proprium suum sanguinem effundere pro illa ove non declinavit; quæ veniâ dignus fuerit, qui sic honoratè à Domino despiciere voluerit, & non omnia, quæ potest, in curanda ovicula adimpleverit? S. Chrysost. in Gen. hom. 57.

Nescio, si potest homo aliquid in hac vita à Deo majus accipere; ignoro, an possit hac gratiâ interim majorem Deus alicui homini conferre; quam ut ejus ministeriò perversi homines in melius mutentur; ut de filiis diaboli, filii Dei efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur esse mortuos suscitare? Ergone majus erit, suscitare carnem iterum morituram, quam animam æternam victuram? ergone majus erit, carnem revocare ad gaudia Mundi, quam animæ restituere gaudia cæli? ergone majus erit, restituere carni bona transeuntia iterum peritura, quam animæ reddere bona æterna in æternum mansura? O qualis dos! quanta dignitas! talem gratiam à Deo accipere! Non debuit Dei sponsa a sponsio suo dorè aliam accipere; non decuit cœlestem sponsam sponsæ suæ dotem aliam donare; quam ut, per adoptio-